

G G. Stenström
okt 1919

11-12

DISSERTATIO ACADEMICA
SUPER DIALOGO PLATONIS,
QUI PROTAGORAS INSCRIBITUR,

CUJUS PARTEM PRIOREM

CONS. FAC. PHILOS. IMP. ACAD. ABOENS.

PUBLICO EXAMINI OFFERUNT

J O H. J A C. T E N G S T R ö M,
Philos. Magister, Bibliothecarius Vicarius,

&

J O H A N N E S F R E D R I C U S T I C K L Ä N ,
Stip. Publ. Ostrobotnienses.

In Auditorio Philos. die XII Junii MDCCXXIV.

h. a. m. s.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

Prestantissimis ingenii Platonici monumentis Dialogus, qui *Protagoras* inscribitur, merito annumeratus est, cum ob ipsarum rerum, quæ in disceptationem quæstionemque vocantur, naturam & vim, tum ob tractationis, ne adhucdum quid ultra dicamus, elegantiam, clarissimis luminibus nitentem a). De oratione ejus illustranda & ad criticas leges examinanda optime in primis meritus est HEINDORFIUS, litteris acerbo fato haud ita pridem ereptus, qui eum cum *Phædone* & *Sophista* edidit Berolini a. 1810 b). Materiam ipsam explicuit, præter TIEDEMANNUM in A notis-

a) Quanti eum veteres, in primisque CICERO, fecerint, vel inde patet, quod hic eum ex Græco in Latinum sermonem verterit. Cf. SCHLEIERMACHERI Introductionem Operum PLATONIS, Germanice redditorum, ed. 2 (Berol. 1817) pp. 35, 230. — Sed HEINDORFIO, Viro Celeberrimo, ab hoc potissimum dialogo tironibus Platonicorum librorum lectionem incipiendo judicanti (ad. h. dial. p. 463) vix assentiri possumus. Nam paullo magis exercitatos lectors postulare videtur nobis dictio ejus, utpote, pro diversis in geniis opinionibusque disserentium, varia & multiplex;

b) Denuo, secundum Codices mss. emendatus, typis exscriptus est in Dialogorum PLATONIS a BEKKERO editorum Partis 1. Vol. 1. (Ib. 1816). Præterea novam editionem Operum PLATONIS annotationibus ornatam molitus Cel. ASTIUS in Tomo eorum primo, Lipsiæ jam 1819 excuso, ad nos vero nondum, quantum novimus, allato, hunc Dialogum novissime evulgavit.

notissimo libro de dialogorum PLATONIS argumentis, ingeniose acutissimeque SCHLEIERMACHER in Operum PLATONIS Germanice redditorum volumine primo c). Sed præterquam quod hi inter se discrepent diversasque prorsus sententias amplectantur, neutrum permiserunt scriptorum rationes dialogum hunc admodum impeditum, laudatum magis quam intellectum d), uberior fusiisque describere vel in peculiares, quæ interpretationis luce opus habere videantur, res accuratius inquirere: quamobrem veniam nos impetraturos speramus, dissertatione Academica, quam exercitationis causa edimus, locos nonnullos dialogi tractare audentes. Quo in negotio hoc tantummodo nobis sumimus, ut strictim observationes quasdam, qualescunque fuerint, exhibeamus; neutquam vero, ut copiosiorem vel perpetuam experiamur explanationem.

Quoniam vero quæstiones, quæ in hoc sermone disceptantur, cum philosophiæ præfertim moralis & primis incrementis & a PLATONE deinde acrius exploratis principiis tam arcte cohærent, ut, his neglectis, unde & quomodo illæ natæ sint, seu quorsum spectent, & quid de illis judicaverit PLATO, obliturum non possit non esse, priusquam ad ipsum dialogum accedamus, utrumque, pro instituti præsentis ratione, disceptionem brevem præmittere lubet e).

Que-

c) ASTER libro, qui inscribitur: *Platons Leben und Schriften* (Lips. 1816), caremus.

d) Cf. SCHLEIERMACHER I. c. p. 222.

e) Doctrina morum Platonica accuratius quam antea a TENEMANNO exposita est in operis eximii, quod inscribitur: *System der platonischen Philosophie*, volumine quarto.

Quemadmodum poësis epica in rebus externis adumbrandis enarrandisque in primis versata est, ita etiam, dissoluta harmonia ævi Homerici, mythorumque supellestile in duas species, historicam & physicam segregata f), qui primi harum utramque separatim exposuerunt, Logographi & Physici, Historiæ & Philosophiæ viam sternentes, illi monumenta solum temporum, hominum, locorum tradebant, hi de rerum natura proponebant decreta, quorum nullam fere reddebant rationem g). Et præterea, ut illi fere in vetustate, sic hi in rebus abditis & retruis potissimum habitabant. Poësis interim etiam ad præsentis temporis habitum, ad sensus animi cum describendos tum exprimendos progressa, lyrical & simul politica facta est h). Quæ vero poëeos faciem mutavit, rerum publicarum conversio, ejusdem etiam, ni fallimur, in formanda fingen-
daque

A 2

(De hoc & TIEDEMANNI jam laudato opere judicium, quod etiam nos amplectimur, tulit C. F. AF WINGÅRD in *Diss. de poetica dictione Platonis*, P. I., Upsaliæ 1804, 14 not.). Deinde principia ejus, & cum idearum doctrina nexum, breviter, sed docte, explicuit STALLBAUMIUS, in Prolegomenis, quibus PLATONIS *Philebum* Lipsiæ a. 1820 a se editum illustravit.

f) Cf. FR. SCHLEGEL *Geschichte der Poesie der Griechen und Römer* I. 1. p. 207 ss. & BIBERG *Spec. Ac. artificii Historiae Herodoteæ ideam sistens*, Upsal. 1810, p. 2. s.

g) Vid. CICER. *de Orat.* 11. 12 & *Tuscul.* *Quæst.* 1. 17; CREUZERI *Historische Kunst der Griechen*, Lips. 1803, p. 133: "So wenig die ersten Logographen die Fakten zu begründen wussten, eben so wenig motivirten die ältesten Philosophen ihre Lehrsätze.

h) Cf. FR. SCHLEGEL I. c. p. 215 ss.

daque cum historia tum philosophia magna fuit vis *i*). Etenim hanc pariter atque illam si primum poëeos antiquæ, unde egressæ sunt, similitudinem quandam gesfisse & speciem, deinde vero habitum quendam suscepisse politicum, statuimus, a vero haud aberraverimus *k*). Postquam vero philosophiæ Græcorum sic mutata erat facies, originem suam e poësi ductam in fabulis sententiisque vatum disceptandis, carpensis refellendisque aut laudan- dis propugnandisque, adhucdum diu prodidit *l*).

PYTHAGORAS certe jam ejusque familia cum studio, quod pariter ac antiquiores philosophi in natura rerum anquirenda posuerunt, præcepta frequentiora conjunxerunt de moribus deque vita ratione *m*). Quo in genere etiam quantum profecerint accuratius definire non liceat, cum, quæ litterarum monumenta consignaverint, prope omnia communi antiquissimorum librorum naufragio perierint, verisimile tamen est, illud & certa disciplinæ forma adhuc caruisse, & ex parte magna tanquam politicam sive civilem prudentiam reipublicæ domi forisque tractandæ nomine excultum fuisse *n*). Ad prudentiam civi-

lem,

i) Cf. CREUZERI *Symbolik und Mythologie der alten Völker*, 1. §§. 60, 61, 64, seu p. 197 ss. ed. 2. Lips. & Darmst. 1819.

k) Cf. TENNEMANNI *Gesch. der Philos.* 1. p. 346 ss.

l) Cf. PLATON. *Sophist.* p. 242 C, D. STEPHAN.

m) Cf. DIogenes LAËRT. VIII. 33.

n) Cf. TENNEMANNI *Gesch. d. Philos.* I. pp. 93 & 138 ss.; MAHNII *Diatribæ de Aristoxeno in Schæferi Thesaurus Critico* (Lips. 1817), p. 30 ss.

lem, quæstu scilicet uberrimam, certatim deinde argutias ratiunculasque suas retulerunt Sophistæ *o*): quas perstrin- gens Socrates, simulque ad vitam communem adducens philosophiam *p*), hujus emendandæ restaurandæque auctor fuit & princeps. Sed quoniam aliorum potissimum opinionebus eliciendis, & absurdis, quæ inde eruebat, conse- ctiariis coarguendis, homines ad virtutis studium amplecten- dum excitaverat, discipuli ejus alii alia principia morum docuerunt, quorum præterea rationes, cum a PLATONE discesseris, nemo eorum *q*) altius investigasse videtur, quam sic dicti Physici in fundamenta nexumque inquisi- verant sententiarum, quas de latentibus naturæ causis pro- tulerunt. Quo nomine doctrina morum similia quodam- modo habuit initia ac naturæ indagatio, neque ante PLA- TONEM ea superavisse dici potest.

Hic autem, ut de animorum æternitate idem quod PYTHAGORAS *r*), ita de virtute idem quod Socrates non solum sensit, sed etiam rationem attulit, eoque non se- cundus, sed alter evasit philosophiæ moralis parens. Ete- nim primus morum studium accuratius definitivit atque quasi sepimento aliquo vallavit disserendi ratione *s*). Vim

A 3

& fen-

o) Cf. XENOPH. *de Venatione* c. XIII, TENNEMANNUM I. c. p. 346 ss., DE GEER *Diatribæ in Politices Platonicæ principia* (Trajecti ad Rhenum 1810), p. 3 ss.

p) Άει διελέγετο σκοπῶν, τι πόλις, τι πολιτικὸς, . . . τι αρχὴ ἀνθρώπων, τι αρχικὸς ἀνθρώπων. XEN. *Memor.* 1. 1. 16.

q) Pertinet hoc nominatim ad ANTISTHENEM & ARISTIPPUM, quanquam etiam horum parum nobis cognita sunt decreta.

r) CICER. *Tusc.* 1, 17.

s) Cf. DIogenes LAËRT. III. 56, TENNEMANNI *System der platon. Philos.* 1, pp. 241, 279 ss.

& sententiam præcepti illius Delphici, a SOCRATE celebrati, se ipsum noscere jubentis ^{t)}, ulterius exposuit, ostenditque, "qui te ipse norit, primum aliquid sentire se habere divinum ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putaturum esse; tantoque munere deorum semper dignum aliquid & facturum esse & sensurum: &, cum se ipse tentarit, totumque perspexerit, intellectum esse, quemadmodum a natura labornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit; quibus illustratus, sapientia ducere, bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat, se beatum fore" ^{u)}

Principia illa rerum omnium, secundum PLATONEM, sunt idæ ^{x)}, quarum doctrinæ enucleandæ tanquam an-

sam dedit ^{y)}) decretum HERACLITI, omnes res sensibus subjectas nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu, docentis ^{z)}). Etenim PLATO, cum pro ingenio

ro idearum doctrinam universæ philosophiæ PLATONIS fundamentum esse, dudum agnatum fuit; omnes tamen, qui de disciplina morum Platonica exposuerunt, ut jure eos arguit STALLBAUMIUS l. c. p. XVII, quomodo hæc cum illa cohæreat, explicare neglexerunt.

y) Originem hujus doctrinæ a Socratico sui ipsius cognoscendi præcepto relictissime repetere videtur nobis CICERO. Quod non impedit, quominus ad hæc principia veritatis quærenda decreto HERACLITI excitatus fuerit PLATO, ut tradit ARISTOTELES. Vid. loca in TENNEMANNI *Syst. d. platon. Philos.* 1. p. 276 citata.

z) De philosophia HERACLITI vid. SCHLEIERMACHERUM in WOLFFI & BUTTMANNI *Museum der Alterthumswissenschaft* 1. (Berol. 1807) p. 315 ss. Summam decreti, quod per CRATYLOM (cf. TENNEMANN l. c.) ab HERACLITO suscepit PLATO, exprimit hujus *Theætit.* p. 152 D. "Ἐν μὲν αὐτῷ καθ' αὐτὸν οὐδέν ἔστιν, οὐδὲ ἀν τι προσείποις ὅρθως οὐδὲ ὄποιονοῦ τι, ἀλλ' ἐάν ὡς μέγα προσαγορεύῃς, καὶ σμικρὸν Φανεῖται, καὶ ἐάν Βαρὺ, κοῦφον, ξύμπαντά τε οὐτως, ὡς μηδενὸς ὄντος ἔνος, μήτε τινὸς, μήτε οποιονοῦ ἐκ δὲ δὴ Φαρᾶς τε καὶ καῆσεως καὶ ηράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάνται, ἀ δὴ Φαμέν εἴναι, οὐκ ὅρθως προσαγορεύοντες. ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδὲ, αἰσὶ δὲ γίγνεται. Cf. PLATONIS Cratylum pp. 401 D, 402 A, 411 C, 440 C. Quod vero TENNEMANNUS in *Syst. d. platon. Philos.* 1. p. 140 de PLATONE, decretum HERACLITI reprehendente, ait, id ex iis, quæ ibid. p. 161 subjicit, explicandum est. Cf. eund. ibid. II. p. 275.

t) De hoc præcepto, cuius, ut ait CICERO, tanta vis, tanta sententia est, ut non homini cuiquam, sed Delphico Deo tribueretur, vid. XENOPH. *Memor.* IV. 2, 24 ss., CIC. *Tusc.* 1, 22. Cf. loca ab HEINDORFIO ad PLATONIS *Protagoram* p. 584 (p. 343 B. STEPHANI) citata, *Schol. in Plat.* p. 194 Ruhnk., CREUZERUM ad PROCOL in Platonis *Alcibiadem Priorem Comm.* (Francof. ad Moen. 1820) p. 5, Eund. ad OLYMPIODORUM, 1. (Ib. 1821) p. 172.

u) CICERONIS verba', Legg. 1, 22, exscripsimus; nam eadem & sequentia, quibus ibi graviter & vere philosophiam laudat, ad PLATONIS disciplinam in primis spectant.

x) "Quidquid enim est, de quo ratione & via disputetur, id, secundum PLATONEM, ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum est." CICER. *Or.* 3. Etiamsi ve

genio suo excelsiori absolutam quandam esse scientiam experientia superiorum animadverteret & agnoscere, animo effinxit sibi æterna quædam rerum exemplaria, omne verum, pulchrum & bonum continentia *aa*). Quæ quo-niam animus in corpore inclusus agnoscere non posset, nisi, antequam in tam perturbatum domicilium immigraverit, in rerum cognitione viguiset *bb*), sequitur, nihil aliud

aa) An ideæ secundum PLATONEM sint substantiæ, disquisitum fuit. Vid. TENNEMANN, l. c. T. II. p. IX ss., pp. 297 s., 303 s., 346, T. III. pp. 4 s., 7 s., 11. Eas substantias appellari non posse, patet: neque tamen inde sequitur, eas non esse nisi mentis notiones. Præterea PLATO τὸ εἶναι αὐτὸν καὶ αὐτὸν (absolutam realitatem, quam nostri ævi philosophi vocant) bono, pulchro, cet., diserte tribuit in *Phædone* p. 100 B, in *Cratyllo* p. 440 B. Cf. WYTTEBACHII *Annot.* in PLATONIS *Phædon*. (Lugduni Batavorum 1810) p. 270 s.

bb) Quæ apud PLATONEM de origine animarum occurunt, aliter alii interpretati sunt. Vid. TENNEMANN l. c. T. III. p. 91 ss. Secundum *Phædrum*, quem sine dubio juvenis adhuc scripsit, anima, quia fons & principium movendi est, ex alia re nata esse non potest. In *Timæo* autem pronuntiat, animas a Deo esse creatas. Quæ harum sentiarum videtur repugnantia, eam ita tollendam esse (cum WYTTEBACHIO in Disputatione PLATONIS *Phædoni* præmissa p. XXII) judicamus, ut dicatur, Deum animas hominum non ex nihilo conformavisse, sed easdem esse partes animæ mundi, ab omni æternitate sese moventis, quas Deus inde separaverit. Harum postea nonnullæ, propter labem naturæ suæ adspersam, & a rerum divinarum contemplatione aversæ, in terram delapsæ, inque mortale corpus inclusæ sunt. Vid. PLATONIS *Phædr.* p. 248 STEPHAN¹ (p. 255 ss. HEINDORFII).

aliud esse discere nisi colligere sese atque recreare, seu recognoscere *cc*). Scientia itaque est superioris vitæ recordatio *dd*), quæ bene interrogando *ee*) excitatur. Hac ratione etiam ideam invenimus summi boni *ff*), e pulchritudine christiana

B

cc) Etiam hujus decreti, in *Phædro* primum mythico integrum obvoluti, deinde ab auctore ipso nudati seu magis philosophice propositi, vim sententiamque expressit recentioris ætatis Plato, summus SCHELLINGIUS, originem scientiæ aliter explicari non posse docens, quam ex institutione superiori seu divina. Doctrinam eandem juveniliter delibavimus in libelli, qui *Aura* inscribitur, fasciculo secundo (Aboæ 1818) p. 94 s.

dd) Cf. CICER. *Tusc.* I. 24 &c, qui ibi citatur, PLATONIS *Phædo*, in primis p. 75 C. ss. Recordationis vocabulo significavit PLATO eam ipsam actionem mentis interiorum, quam intuitionem intellectualem hodie appellant, qua idea ejus, quod revera semperque est, percipitur.

ee) Interrogare, ἐρωτᾶν, est nempe etiam disserere interrogando & respondendo. Vid. WYTTEBACH. ad PLATONIS *Phædon*. p. 188. Cf. Ejusd. Disp. huic dialogo præmissam p. XVIII.

ff) Hanc secundum PLATONEM esse Deum ipsum, & animorum itaque humanorum cum Deo esse communionem quandam, pronuntiarunt Platonici recentiores, quorum sententiam amplecti videntur etiam TENNEMANN. *Syst. d. platon. Philos.* 1. p. 245, DE GEER l. c. p. 82. Sed locum in hanc rem allatum Libri VI. de Rep. p. 506 A ss. de Deo non agere ostendit STALLBAUMIUS l. c. p. LXXXVII ss. Cf. Eund. p. XXXIV.

chritudine, symmetria & veritate constantis gg), quod vero, cum animæ ea pars, quæ rationis est expers bb), jucundi desiderio, nunquam penitus extirpando ii), tenetur, merum & genuinum experere non possumus. Philosophia itaque refertur ad eum finem, ut, servata harmonia, sensus imperio animi subjiciantur kk). Quare pri-
mariae

gg) PLATON Phileb. p. 65 A (p. 222 STALLE.): Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾶς δυνάμεως ἴδεα τὸ αἴγαθὸν θηρεύσαι, ξὺν τρισὶ λαβόντες, καλλεῖ καὶ ξυμμετρίᾳ καὶ αἰληθείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἐν ὄρθοτατ' ἀν αἰτιαστικεύει τὸν τῶν ἐν τῇ ξυμμιχεῖ, καὶ δια τοῦτο, ὡς αἴγαθὸν ὃν, τοιαύτην αὐτὴν γεγονέναι.

hh) Animam in duas partes divisit PLATO. Cf. CAMERA RIUM ad XENOPH. Cyrop. VI. 1. 41, DE GEER l. c. pp. 87, 97 s.

ii) Corpus est animi carcer: sed vincula, quæ Deus homini injectit, rumpere non licet; quare etiam occidere se ipsum nefas est. Mortem tamen semper commentari debet sapiens, sicque animum purgare, & a communione corporis, quantum fieri possit, solvere. Cf. TENNEMANN. l. c. p. 215, WYTENBACH. ad PLATONIS Phædon. pp. 130, 139, 142, 172, 335 s.

kk) Ipsam virtutem & sapientiam contineri quasi musicæ concentu, subinde significat PLATO. (Vid. loca a WYTENBACHIO l. c. p. 127 laudata). Quare nec voluptas nec sapientia solæ, sed vita ex utraque mixta, in qua tamen imperare debet sapientia, summum bonum hominis est. Vid. PLATONIS Philebus p. 21 E ss. (p. 52 ss. STALLE.), TENNEMANNUM l. c. 1. pp. 217 — 221. Cf., si placet, GIPHANII Annot. ad. ARISTOTELIS Ethic. Nicomach. VII. 2 (ed. ZELLII Vol. II., Heidelb. 1820, p. 301) & ARISTOTELEM ipsum ib. X. 2. Procul itaque a severitate illa, in

mariæ ejus partes sunt doctrina morum &, quæ cum ea conspirat, disciplina politica, nihil aliud propositum sibi habens, nisi ut animi & corporis vires singulorum hominum recte excolantur & temperentur ll).

Brevem hic habemus adumbrationem initiorum, unde doctrina morum orta, concreta & formata est, placi torumque, quibus PLATO primus, ut morum præcepta in unum quoddam systema redigi possent, effecit. Cujus periculum faciendum esse putabamus, quoniam dialogus

B 2

PLA-

quam recentiori ævo immortalis KANTIUS abiit, distitisse disciplinam PLATONIS, facile patet.

ll) Cf. CICER. de Off. 1. 43, TENNEMANN. l. c. 1. p. V, pp. 211, 244 e. s. p., Platon's Republik übersetzt u. erläutert von FÄHSE p. XI. s., DE GEER l. c. p. 143 ss., p. 165, TEGNERI Progr. de Platone artem poetamic improbante, Londini Gothorum, 1820, fol. 4 extr., FR. KÖPPEN Politik nach Platonischen Grundsätzen (Lips. 1818) p. 13 & passim. Id. ib. p. 79: Ursprünglich ist der christliche Gesichtspunkt mit dem Platonischen einer und derselbe, nämlich höchste Tugend, innere sittliche Harmonie der freyen Geister, als Quelle lobenswerther Thaten und des wahren Wohles der Menschheit. Nur wird sie bezogen auf ein Reich Gottes, auf eine unsichtbare Herrschaft, und die sichtbaren Einrichtungen der Völker und Staaten werden dabey so sehr bereitigt, dass selbst in ihrem verdorbensten Zustande ein Reich Gottes anbrechen und zunehmen kann. Den Kindern der Welt und ihrem Haupt, dem Teufel, bleibt das Ihrige, die dann herumwandern und Sinnendingt ordnen mögen, wenn nur die Kinder Gottes das Ihre thun, und bösen Anläufen widerstehen.

PLATONIS, qui *Protagoras* inscribitur, frequenter sparsa, sed adhucdum occæcata continet semina disciplinæ postea procreatæ & evolutæ, ut nec ironia in eo obvia recte intelligi potest, nisi quæ alibi serio & apertius statuerit PLATO, respexeris.

Finis, ad quem in primis spectare debeat sapientiæ studium, erat quidem jam a SOCRATE designatus. Sed quæcumque hic de moribus disseruerat, ea ad boni & honesti sensum retulerat. Sophistas, virtuti interitum minitantes, castigaverat, argutasque disputationes eorum nihil momenti habere ostenderat ad vitam recte & sapienter instituendam. Sed ut opiniones ab iis sparsæ extirparentur, disensioque de principiis virtutis penitus tolleretur, altius investigandæ erant causæ & rationes, quibus hæc contineatur. Quem ad finem opus erat primum, errorem principalem Sophistarum, quod cognitionem, e rebus earumque usu haustam, cum notionibus ex animi humani æternis legibus petitis confunderent, ob oculos ponere; porro quasi conspectum quandam exhibere captiuncularum, quibus se discipulosque suos irretiebant veritatemque obscurabant; aliam denique disserendi viam monstrare, qua in mentis humanæ latebras & recessus penetrare notionesque excelsiores elicere liceret. Quo fere consilio compoſiti esse videntur cum plures alii libri PLATONIS, cum dialogus, qui a PROTAGORA nomen traxit.

Falsa enim est opinio, cuius tamen antiquitatem inscriptioni dialogi secundaria, Σοφισται, indicare videtur, PLATONEM nihil aliud in eo spectasse, quam ut his juventutis corruptoribus generatim illuderet, moresve, ingenia & decreta eorum universe describeret. Quod primum ad inscriptionem istam attinet, eam, ut ceteros secundarios sermonum Platonicorum titulos, adventitiam esse librarium.

riorumque & grammaticorum præpostoræ sedulitati originem suam debere, dubio jam carere videtur; quare etiam ab editoribus PLATONIS recentissimis ejecti sunt *mm*). Præterea simpliciter *Protagora* nomine hunc dialogum laudant cum plures veterum scriptorum, tum saepius PRISCIANUS *nn*). Eo conſribendo PLATONEM revera aliud spectavisse, quam ut vase disjectis cavillationibus Sophistas carperet, inde luculentissime patere nobis videtur, quod vel nusquam memorantur, vel leviter solum & quasi obiter perstringuntur sententiæ principes, alibi Protagoreis adscriptæ, quales sunt, neminem τὸ μὴ ὄν fallaque omnino dicere posse *oo*): quod cuicunque videatur, id ei, cui videatur, esse *pp*): omnium itaque rerum mensuram esse

B 3

mm) Cf. SCHLEIERMACHER I. c. p. 55, WOLFIUS Zu *Platons Phædon* (Berol. 1811) p. 6 extr., STALLBAUMIUS I. c. p. XXXIII. Iſtos titulos auctoritate apud veteres caruisse, patet etiam ex OLYMPIODORI Scholiis in *Gorgiam*, ubi de argumento ejus sic disserit: 'Ο δέ σκοπός ἄλλος ἄλλοις ἔδοξεν εἶναι. Οἱ μὲν γάρ Φασὶν, ὅτι σκοπός αὐτῷ, περὶ ἐπιφερίης διαλέχθηνται, καὶ ἐπιγραφούσι τὸν Γοργίας η̄ περὶ Ρητορικῆς. Κακῶς δέ. Οὗτοι γάρ ἀπὸ μέρους τὸν ὄλον χαρακτηρίζουσιν. Ἐπειδή γάρ Γοργίᾳ διελέχθη περὶ ἐπιφερίης, ἐκ τούτου τὸν σκοπὸν ἐπορίσαντο. Καὶ τοὶ οὐδὲ πολλοὶ εἰσιν οἱ τοιοῦτοι λόγοι' (e Cod. Reg. Bibl. Paris. Ms. 1822).

nn) Lib. V. p. 667 s., VI. pp. 693, 706; VIII. p. 803; XVIII. pp. 1168, 1177, 1212 ed. PUTSCH.

oo) Vid. HEINDORF. ad *Cratylum* (Berol. 1806) p. 9 s. et ad *Sophistam* p. 380.

pp) Vid. *Theætetet.* p. 405 ed. HEIND. (Berol. 1805); quemadmodum ad *Phædon*. p. 150.

esse hominem *qq*), e. s. p. Deinde, etiamsi ironia ubique fere in eo dominetur, neque usquam ingenium morisque Sophistarum sollertia facetusve expressa elusaque invenias *rr*), disputatio tamen materiam quandam propositam habuerit necesse est, qua tractanda potissimum contineretur. Ut enim PLATO ipse posuit, "omnis in quæ rendo, quæ via quidem & ratione habetur, oratio, præscribere primum debet, ut quibusdam in formulis, *ea* res agitur, ut inter quos disseritur conveniat, quid sit id, de quo disseratur" *ss*). Cujus obliviscendum non esse, simulque, determinandam esse quæstionem, de qua disputandum sit, etiam in hoc sermone urgetur.

A vero etiam aberrasse illos, qui, ut Cel. TIEDEMANUS, eum in primis versari putarent in tractanda quæstione aliqua peculiari ibi proposita, qualis est, an virtus doceri possit, inde patet, quod tali libri fine posito, plures partes ejus adventitiæ & supervacaneæ esse videantur. Sed cf. SCHLEIERMACHER I. c. p. 227 s. Accedit, quod de notione sapientiæ seu virtutis generatim definienda in primis agendum fuisse, Socrates in exitu dialogi diserte significat. Solutio quæstionis, an virtus doceri possit, pendebat e disquisitione de natura & indole virtutis, in qua itaque disputatio in primis habitare debebat.

Ratio.

qq) *Theatet.* p. 152 A. STEPHANI (p. 313 HEIND.). Cf. MENAGIUM ad DIOGENEM LAERT. IX, 51, DE GEER I. c. p. 14 s.

rr) Vid. TENNEMANNI *Gesch. d. Philos.* I. p. 353 s. &c. SCHLEIERMACHER I. c. p. 218.

ss) CICER. *de Fin.* II, 1. Cf. CICER. *Orat.* 33.

Rationes autem, quibus hanc disquisitionem niti & contineri voluit PLATO, non nisi per longas ambages elici, vimque & sententiam earum tandem in medio relinqu, neminem amplius fugere potest. Quorum itaque spe-
ctet dialogus, SCHLEIERMACHERUM, cuius sententiam breviter supra p. 12. expressimus, optime indicavisse, dubio caret. Hinc jam necessario fere sequitur, dialogum scriptis PLATONIS juvenilibus recte ab idoneis judicibus annumeratum fuisse *tt*); quorum sententiæ eo proclivius assentieris, si vel orationis narrationisque poeticum colorem spectes, vel varietatem argumentorum ibi per strictorum, quorum quæque fere aliis iisque peculiaribus scriptis PLATONIS dedita opera exponuntur *uu*). Longe difficilior dubitatio-
nisque plena est disquisitio, in qua nihil nisi verisimilia sequi licet, de ordine temporis, quo singulos libros com-
positos fuisse, statuere liceat.

Quocunque modo ea se habeat, historicis rationibus ex ipso sermone petitis, tempus, quo conscriptus fuerit, erui nequaquam potest. Secundum has enim saltem non anno natali PLATONIS, Ol. 87, 3 *xx*), posterius habitus aut revera esse aut fingi *yy*) potuit; cum non modo PERICLES,

tt) Vid. TENNEMANNI *Syst. d. platon. Philos.* I. p. 123, BOECKHUM in *Platonis, qui vulgo fertur, Minoem* (Halles Saxonum 1806) p. 46, SCHLEIERMACHERUM I. c. p. 48 s.

uu) Cf. Jos. OTT. HÖIJERI *Platonis Eutyphron, Graece & Svethice*, P. 1. (Upsal. 1821) p. 1.

xx) Secundum CORSINIUM.

yy) Vid. ATHENÆI *Deipnosoph.* XI. p. 381 SCHWEIGH. (Argentor. 1804), MACROBII *Saturn.* I, 1, CICER. in

RICLES, quem Ol. 87, 4 mortuum esse constat, tanquam vivus adhuc commemoretur ²²⁾, sed etiam sermoni interfuisse narrentur ^{a)} filii sui, quorum uterque ante patrem, Ol. 87, 3, pestilentia absuntus est ^{b)}. Quo nomine historiæ fidem a PLATONE neglectam arguit ATHENÆUS.

Secundum hunc nempe PLATO in hoc sermone induxit homines, qui vix una Athenis esse potuerint. In qua questione tractanda etiamsi CASAUBONUS ipse, ATHENÆUM rectam & certam methodum iniisse, censuerit ^{c)}, & SCHLEIERMACHER alias ejusdem generis monstraverit, temporis, quo habitus fuerit sermo, definiendi, difficultates, quas nunquam commode sublatum iri, judicat quoque HEINDORFIUS ^{d)}, cui assentitur doctissimus FrancoGallus LETRONNE in Diario Eruditorum (*Journal des Savans*) a. 1820 p. 678 ^{e)}, earum tamen extenuandarum periculum

epistola ad VARRONEM, *Academicis Questionibus* premissa.
Cf. GARNIER in *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et des Belles Lettres* T. XXXII, p. 139.

²²⁾ Pag. 320 A.

^{a)} Pag. 315 A. Cf. HEINDORF, p. 467.

^{b)} De his cf. loca ab HEINDORFIO p. 481 citata, *Schol. in Plat.* pp. 73, 139 RUHNK., OLYMPIODORUS in *Platonis Alcibiadem Priorem* p. 139.

^{c)} *Animadverss. in Athen.* T. III, p. 238 SCHWEIGH.

^{d)} Ad hunc dialogum p. 467.

^{e)} Hic obiter inter alia animadvertisit, in *Scholiis in Plat.* RUHNKEN. p. 185 (legendum 195) mendose de PROTAGORA dici: ἐτελεύτησε ναυαγῆς ἐτῶν σι, pro ἐτῶν ο, ut e co dicibus mss. Parisiensibus, unde haec post mortem demum